

enim eadem proportio; consequens autem est falsum, ut satis probat argumentum factum, et supra etiam dictum est. Non procedit autem argumentum contra meritum de condigno primæ gloriæ. Nec quoad hoc est similis ratio. Nam actus per quem meretur justus augmentum gloriæ, a principio (ut sic dicam) seu primo signo naturæ productionis suæ, est meritorius de condigno augmenti gratiæ, quia jam supponit gratiam, a qua potest illam perfectionem meriti habere, et ideo gradus gratiæ per tale meritum additus nullam perfectionem eidem merito addere potest. At vero actus, quo prima gratia dispositivè obtinetur, ut præcise procedit ab auxilio, non potest habere perfectam rationem meriti, quia non supponit personam capacem juris justitiæ apud Deum, et ideo per supervenientem gratiam potest in ea ratione perfici, quia per gratiam constituitur persona capax juris justitiæ apud Deum.

33. *Quæsitum primum.*—*Secundum.*—Sed quæri tandem in hoc puncto potest, an qui justificatur per sacramentum cum sola attritione, quam actu habere supponitur, mereatur primam gloriam per illam attritionem ut gratia formatam. Videtur enim illam mereri, quia ille actus est bonus et supernaturalis, et hominis justus; ergo meritorius de condigno; et non gratiæ, quia illam supponit; ergo primæ gloriæ. Et ad idem videntur cum proportione posse applicari omnia dicta de contritione. Item potest interrogari an actus fidei et spei, qui forte præcesserunt ante instans justificationis, durarunt tamen intrinsece usque ad instans justificationis, vel in eo simul inceperunt cum actu charitatis, ut in Angelis, an illi sint meritorii primæ gloriæ de condigno. Videntur enim non esse meritorii de condigno, quia omnino antecedunt tempore vel saltem natura actum charitatis, et ita non ordinantur per illum in finem charitatis, nec formaliter, nec virtute; ergo non potuerunt esse meritorii de condigno, sive gratiæ, sive gloriæ.

34. *Resolutio primi quæsitii.*—*Instantia ex Concilio Tridentino.*—*Dissolvitur.*—Ad prius quæsitum, respondeo imprimis attritionem non mereri primam gloriam totam, quæ respondet primæ gratiæ, quæ ratione tantum sacramenti datur. Probatur, quia talis actus imperfectus est, et de se improportionatus tantæ gloriæ. Addo deinde nihil illius gloriæ, quæ gratiæ sacramentali respondet, cadere sub meritum illius attritionis. Probatur, quia

(ut infra ostendam) qui justificatur cum sola attritione per sacramentum non meretur etiam de congruo primam gloriam, quæ per sacramentum datur; ergo nec meretur de condigno primam gloriam illi gratiæ respondentem. Probatur consequentia, quia sicut illa gratia non datur ullo modo intuitu talis actus, sed præcise intuitu meritorum Christi, ita etiam tota illa gloria non datur ut corona justitiæ debita tali homini, sed propter sola merita Christi, tamen correspondens gratiæ, quæ propter eadem merita data est. Dices, imo illam gratiam dari intuitu talis actus, nam de attritione dicit Concilium Tridentinum, quod impetrat gratiam in sacramento; ergo ille, a quo impetrat, confert gratiam intuitu et ratione talis actus. Et in sess. 6, cap. 7, docet pro ratione dispositionis dari gratiam justificantem. Quod verum est etiam in justificatione, quæ virtute sacramentali fit, etiam quoad gratiam illam, quæ ex opere operato datur, ut est communis opinio Theologorum, et in materia de Sacramentis a nobis traditum est; ergo etiam infunditur talis gratia intuitu illius actus attritionis tanquam dispositionis necessaria; ergo hoc satis est ut illa dispositio, informata per gratiam, mereatur gloriam illi respondentem. Respondeo attritionem illam dici impetrare gratiam, non per specialem modum orationis, nec per proprium meritum de congruo, ut infra ostendam, sed quia, illa posita, ex lege Dei datur gratia; hic autem modus impetrandi esse potest, etiamsi conditio ex lege Dei postulata nullo modo sit talis ut ejus intuitu detur effectus, sed tantum intuitu promissionis Dei, et meriti Christi, propter quod facta est. Unde ad alteram partem dicitur, illam non esse dispositionem ex se proportionatam effectui, sed ex lege Dei requisitam magis ad removendum obicem peccati, saltem quoad rationem voluntarii, quam positive præparantem subjectum; cujus signum est, quia ubi peccatum non supponitur voluntarium propria voluntate personæ recipientis sacramentum, talis dispositio necessaria non est, et in aliis satis est quod præcesserit et virtute perseveret, quia hoc satis est ad removendum voluntarium circa peccatum. Et propterea non est talis illa dispositio, ut ejus intuitu proprie loquendo detur sacramenti effectus, id est, quod ratione illius infundatur gratia, nisi valde per accidens, et ex sola extrinseca Dei ordinatione, et ideo nec acceptatio ad talem gloriam fit ullo modo ratione talis dispositio-

nis, ideoque illa non est meritoria de condigno talis gratiæ.

35. *Absolvitur primi quæsitii resolutio.*—Nihilominus tamen censeo illam attritionem formatam esse meritoriam alicujus gradus gloriæ, ultra totam gloriam correspondentem gratiæ sacramentali ut hæreditatem, et non ut coronam, et consequenter etiam mereri aliquem gradum gratiæ ultra totam sacramentalem. Prior pars probatur optime ratione dubitandi supra posita, quia ille est actus supernaturalis hominis justus, et consequenter meritorius vitæ æternæ, vel augmenti ejus juxta generalem regulam Concilii Tridentini. Posterior vero pars sequitur ex priori, quia gloria non crescit, nisi aucta gratia, neque potest aliquis mereri gradum gloriæ; nisi vel habere supponatur, vel mereatur proportionatum gradum gratiæ, sed ibi non supponitur talis gradus gratiæ, ut constat; ergo cadit sub idem meritum. Unde fit ut ille actus sit meritorius augmenti gratiæ, et consequenter secundæ gloriæ, et non primæ. Et hinc fit ut majorem gratiam recipiat, et ad majorem gloriam acceptetur, qui habet actum attritionis præsentem, quando justificatur per sacramentum, quam ille qui prius habuit, et ab illo cessavit, quia ille meretur augmentum gratiæ et gloriæ de condigno, quod alter non meretur. Et eadem ratione, qui meliorem attritionem elicit, majorem fructum gratiæ et gloriæ consequitur, quia habet actum meliorem, qui cæteris paribus magis est meritorius. Quod si quis velit dicere totam illam gratiam majorem et auctiorem simul natura infundi ex efficacia sacramenti in homine disposito, et ita nullum gradum gratiæ tribui ex merito de condigno, facile potest id defendere. Nihilominus tamen, illo etiam dato, non censeo illum mereri de condigno totam gloriam respondentem illi gratiæ, sed ad summum illud augmentum gloriæ respondens illi augmento gratiæ, quod ratione talis dispositionis datum est, quia cum illo habet aliquam proportionem, supposita gratuita collatione tantæ gloriæ, non tamen cum tota gloria, ut ratio supra facta probat.

36. *Quæsitum secundum ditribuitur.*—Ad aliud quæsitum respondeo, quoties homo in instanti justificationis per plures actus supernaturales actu disponitur, melius disponi cæteris paribus, quia perfectio dispositionis non tantum ex intensione actus, sed etiam ex multitudine actuum consurgit. Unde fit ut ratione talis dispositionis integræ major illi gratia de-

tur, quam si solum haberet unum vel alium actum. Ut, verbi gratia, si unus disponitur per solum amorem super omnia, quia non occurrerit cogitatio doloris, vel propositi, alius vero duos vel tres simul habeat, majorem primam gratiam percipit, et ita, etiam si habeat spei et fidei actus, intuitu omnium simul datur intensior prima gratia. Quæ omnia consequuntur ad doctrinam Concilii Tridentini, quod unicuique infunditur gratia juxta illius dispositionem. Ex quo ulterius concludimus omnes illos actus esse meritorios primæ gloriæ, non quidem singulos totaliter, sed partialiter, seu cum proportione. Et in hoc sensu recte dixerunt aliqui Theologi, primum actum fidei, si in illo instanti duret, vel fiat, et ordine naturæ antecedit non solum gratiam, sed etiam actum charitatis, fieri meritorium primæ gloriæ, quia ex se est proportionatus ad hoc meritum, et non indiget alia relatione charitatis, sed sola informatione per gratiam, quæ in eodem instanti accedat, et ita nihil ibi deest ad hoc meritum de condigno, servata proportione jam dicta.

CAPUT XXIX.

AN ALIA DONA GLORIÆ SUB MERITUM DE CONDIGNO CADANT?

1. *Ex quatuor præmiis a Trident. recensitis explicatur tertium.*—Concilium Tridentinum, sess. 6, capit. 32, ad explicandum præmium meriti de condigno justorum, quatuor enumeravit: augmentum gratiæ, vitam æternam, consecutionem ejusdem vitæ æternæ, et gloriæ augmentum. Ex quibus duo prima explicavimus hætenus. Circa tertium vero tractari poterat hoc loco gravis quæstio de reviviscentia meritorum, quæ per superveniens peccatum mortificata fuere. Sed quia disputatio illa in tractatu de Pœnitentiâ propriam sedem habet, et nos peculiarem de illa re disputationem inter alia opuscula edidimus, ideo ab illa controversia nunc abstinemus. Solum ergo advertere oportet vitam æternam, et vitæ æternæ consecutionem, non esse duo præmia distincta, quia mereri mercedem, et solutionem mercedis, non sunt duæ mercedes, quia res ipsa non cadit sub meritum, nisi quatenus retribuenda est operanti, et e contrario meritum eo tendit, ut obtineatur præmium. Concilium vero illa duo distincte posuit, ut explicaret quomodo vita æterna sub meritum de condigno cadat. Nam

quia illud præmium non statim datur, neque omnes qui illud merentur, illud consequuntur, explicare oportuit quo modo meritum illud certissimum et infallibile sit, utpote in divina promissione fundatum. Ad hoc ergo declarandum addidit Concilium mereri justos vitam æternam, non statim, neque omnibus aliquando infallibiliter reddendam absoluta infallibilitate, sed sub conditione: *Si in gratia decesserint*. Quia sub hac conditione et non aliter propositum et promissum est illud præmium. Notanter autem non dixit Concilium: *Si a gratia non ceciderint*; vel: *Si non peccaverint*, sed: *Si in gratia decesserint*, quia post multa merita potest quis peccare, et gratiam amittere, et nihilominus in gratia decedere, quod satis erit ut præmium vitæ æternæ, quod meruerat, consequatur. Et ideo in initio cap. 16. docuerat: *Justificatis omnibus sive acceptatam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda esse Apostoli verba*, etc. Et in hac Concilii doctrina fundatur optime reviviscentia meritum, quoad præmium essentielle vitæ æternæ, quia, eo ipso quod resurgit aliquis a peccato, in quod post bona merita ceciderat, et in statu justitiæ moritur, impletur conditio sub qua promissum est præmium, et ita illud infallibiliter consequitur, unde fit ut priorem etiam gratiam recuperet; quando vero talis gratia amissa restituatur, et quomodo id intelligendum sit, in citato loco tractavi, et ideo circa tertiam illam partem verborum Concilii nihil amplius hic dicere necesse est.

2. *Explicatur etiam quartum.*—Sub quarto ergo membro a Concilio posito, comprehendere merito possunt omnia alia dona gloriæ quæ sub hoc meritum cadunt; nam omnia illa ad aliquod gloriæ augmentum pertinent. Hoc ergo augmentum duplex esse potest, essenziale videlicet et accidentale. Essentiale est quod fit in ipsa essentia gloriæ; accidentale vero nunc dicitur quod fit per quæcumque alia dona substantiali gloriæ superaddita. Quia vero nomen gloriæ æquivocum est, et interdum extrinsecam bonæ famæ claritatem, interdum vero interna et inhærentia dona beatitudinis gloriæ significat, supponimus hoc posteriori modo in præsentem sumi, non priori; deinde inter hæc intrinseca dona gloriæ quædam sunt quæ ad beatitudinem formalem substantialiter pertinent, ut sunt visio beata, comprehensio, seu intentio, aut possessio objecti beatifici, amor immutabilis ejusdem objecti propter seipsum, et divina fruitio; de

quibus nunc non tractamus an omnia distincta inter se sint, vel quo modo, neque an pura essentia beatitudinis in omnibus illis, vel eorum pluribus, vel in uno tantum consistat, sed solum supponimus illa esse ita conjuncta in beatitudine substantiali, ut ex natura rei inseparabilia sint, et proportionem in augmento seu intensione servent. Unde fit ut omnes hos actus sub nomine gloriæ essentialis comprehendamus, et consequenter sub augmento essentialis gloriæ eorundem actuum augmentum comprehendimus. Hinc vero extendi solet nomen gloriæ ad significandos habitus supernaturales, vel proprios patriæ, vel in illa speciali modo consummatos, a quibus illæ operationes connaturaliter procedunt, ut sunt lumen gloriæ, charitatis, et si quod est aliud principium proximum intrinsecum, ac permanens beatificorum actuum. Nam principia ista quoad intensionem et intrinsecam perfectionem, tam inter se quam cum ipsis actibus proportionem servant, et ideo ad gloriam substantialem pertinere censentur. Ac denique gratia ipsa quæ est in essentia animæ, quæ in via est inchoata, prout in patria est consummata, solet e Theologis per antonomasiam gloria appellari, quia est veluti essentialis forma a qua et ipsæ operationes beatæ, et principia proxima earum, et totus beatificus status dimanat. Cætera vero dona beatitudinis, sive sint animæ seu spiritus, quoad intellectum et voluntatem (nam in animæ essentia suppono nullum addi, præter gratiam), sive sint futura in corpore glorioso et potentiis ejus, sub gloria accidentali comprehenduntur. Augmentum ergo quod fit intrinsece in prioribus donis essenziale vocamus; quod in posterioribus donis, est accidentale. Unde primum augmentum semper est intensivum, id est, in perfectione aliqua intrinseca eorundem actuum vel habituum ad essentialem beatitudinem pertinentium; secundum autem potest esse, aut per intensionem earundem perfectionum, sicut erit, verbi gratia, in eisdem dotibus corporis gloriosi vel in scientia per se infusa, vel in revelatione, seu illuminatione earundem veritatum; aut per additionem plurium perfectionum, ut fit per aureolas, aut per novas revelationes.

3. *Circa gloriam essentialem assertio prima de fide videtur, ex Tridentino.*—*Ex aliis Conciliis et Patribus.*—*Accedit ratio.*—De hoc ergo augmento sic declarato, dico mereri justos augmentum gloriæ essentialis. Hoc censeo de fide certum, quia de hac indubi-

tanter loquitur Concilium Tridentinum cum definit mereri justos gloriæ augmentum, quia nomine gloriæ absolute dictæ essentialis beatitudo intelligitur. Item de hac gloria Concilia et Sancti loquuntur, cum secundum fidem docent gloriam Sanctorum esse inæqualem, et hanc inæqualitatem esse ex inæqualitate meritum; ergo signum est augmentum gloriæ esse ex merito. Denique ostensum est mereri justos de condigno augmentum gratiæ; inde autem fit necessario ut etiam augmentum gloriæ mereantur, quia omni gradui gratiæ correspondet aliquis gradus gloriæ et omnis gradus gloriæ fundatur in aliquo gradu gratiæ dante jus ad talem gradum hæreditatis (ut sic dicam), et quia tota illa hæreditas est etiam corona meritum in adultis, ideo etiam omnis gradus gloriæ alicui merito respondet. Quocirca, si nomine gloriæ intelligatur gratia consummata, mereri augmentum gloriæ, et mereri gratiæ sanctificantis augmentum, in idem fere recidunt. Quia gratia habitualis, quæ est in essentia animæ, non est capax alterius augmenti, præter intensivi; totum autem augmentum intensioris gratiæ, quod quis in via meretur, statim illi tribuitur, ut l. 9 ostendimus, et si fortasse illud augmentum, vel quod per sacramenta datum est, per subsequentem peccatum interrumpatur, per subsequentem penitentiam statim restituitur, et ita justus, qui in statu gratiæ moritur, cum toto augmento gratiæ in via comparato ad terminum viæ permanet; illi autem augmento nullum novum additur, vel in purgatorio, ubi nullum est novum meritum, vel in ingressu Patriæ, ubi non fit talis gratiæ liberalitas sine respectu ad merita vel sacramenta, quia hoc nec sine revelatione, aut gravissimo testimonio libere affirmari potest, cum sit res mere supernaturalis, neque habet in Scriptura fundamentum, imo est parum consentaneum illis generalibus regulis, quod Deus retribuet unicuique secundum opera sua, ut in materia de beatitudine dixi, esseque rem certissimam nuperrime scripsit Ægydius a Præsentatione in lib. 4 de Beatitudine, quæstione tertia, num. 20. Ergo augmentum gloriæ, quod in gratia consummata permanet, idem omnino est cum augmento gratiæ, quod homo merendo, vel quolibet alio modo in via consecutus est; ergo non potest quis augmentum gratiæ mereri, quin augmentum etiam gloriæ, in hac significatione sumptæ, mereatur.

4. *Objectio.*—*Solutio.*—Dices: gloria hoc modo sumpta dicit gratiam consummatam; at vero gratia consummata aliquid addit toti gratiæ viæ, quia in via non fuit consummata, et ideo necesse est ut illa consummatio per aliquid illi additum fiat, quod profecto ad aliquod augmentum ejusdem gratiæ pertinebit. At in via non meretur homo hoc augmentum; ergo nec meretur homo gloriæ augmentum. In hoc puncto explicando, scilicet, quid addat gloria seu gratia consummata toti gratiæ, multum laborat idem Ægydius loco citato, a num. 17, et optime docet ac probat non addere in essentia animæ qualitatem aliquam a gratia distinctam, neque addere gradum intensionis, neque aliquam aliam novam entitatem, aut modum realem positivum ac intrinsecum ipsi gratiæ, nihil enim horum aut cum fundamento affirmari, aut satis intelligi valet. Addit vero inde consummationem illam addere nescio quid vigoris, quia in ingressu patriæ gratia illa vigoratur, ut influat in divinam visionem, et actus beatificos, tanquam sibi connaturales. Quo proposito, respondendum esset ad argumentum, hominem in via mereri vigorem illum, non tamen in via dandum, sed in ingressu patriæ, si in gratia decessat, quia ille vigor magis ad gloriam quam ad gratiam talis vel talis intensionis pertinet. Nam in purgatorio habet gratia totam intensionem, et tamen non dicitur consummata.

5. Existimo tamen illis verbis nihil rei subesse, nihilque reale positivum et intrinsecum posse significari. Quicquid illud sit, si est reale et intrinsecum ipsi gratiæ, repugnat priori doctrinæ verissimæ, quod illa consummatio non addit rem vel modum realem intrinsecum gratiæ. At vero si dicatur esse tantum denominatio extrinseca, sive ab ordinatione divina, sive a quocumque alio actu, non potest dare gratiæ aliquem vigorem ad agendum vel influendum, si tamen agit vel influit per se in actus, nam id etiam incertum est, licet fortasse verum. Unde dico gratiam consummatam antecedenter ad visionem beatam nihil addere priori intensionem, præter ordinationem divinam, nisi negationes quasdam; una est, quod gratia illa jam non est in statu merendi, et quoad hanc partem etiam in anima purgatorii gratia dici potest consummata, quia in tali persona pervenit ad terminum, ultra quem crescere non potest secundum ordinationem divinam, et ita dicitur consummata de facto, et de lege ordinaria, quicquid sit de absoluta potentia. Alia negatio esse potest carentia omnis culpæ, et

reatus pœnæ in subjecto talis gratiæ jam extra viam existentis. Nam ex divina etiam ordinatione illi statim debetur visio beata, et consequenter alii etiam actus beatifici; quam consummationem non habet, quamdiu anima est in purgatorio; incipit autem illam habere in ingressu patriæ, prius etiam natura quam visionem recipiat. Et, licet in illo priori naturæ sit apta ad influendum in visionem beatam per modum principii remoti, non est quia vigorem aliquem accipiat in se, et ante lumen gloriæ; per quid enim illum accipiet, si nihil entitatis vel realis modi in se recipit? Ex se ergo et ratione suæ entitatis et intensionis illum habet vigorem, totumque illum jam habebat in purgatorio, vel etiam in via, non tamen poterat illum reducere in actum, quia nondum habebat conjunctum lumen gloriæ, quod est principium proximum primi actus beatifici. Ratio autem cur illi nondum conjungatur lumen gloriæ, non est quia aliquem minorem vigorem in se habebat, sed pendet ex ordinatione divina naturis talium rerum consentanea. Nam statuit Deus non dare lumen gloriæ, nisi et post perfecta omnia merita, et post perfectam purgationem, quia lumen illud, et datur ut principium essentialis præmii tantum, et non datur nisi mundissimis et omni macula carentibus. Et ideo, quando gratia habet in subjecto suo duas conditiones conjunctas, dici potest consummata, etiam ut concipi potest prior natura, quam lumen gloriæ infundatur. Sed illa consummatio, ut ex declaratione facta patet, nihil addit gratiæ, præter dictas negationes et ordinationem divinam. Per additionem vero luminis et visionis, dici potest perfectius consummata quoad statum, et quoad actualem influxum in actum, quo ab intrinseco fit suo modo inamissibilis, supposita etiam ordinatione seu pactione divina; nam hæc omnia ad illam consummationem concurrunt.

6. *Concluditur intentum primæ assertionis.* — Ex his ergo optime infertur et declaratur quomodo, si gloria sumatur pro gratia consummata, mereri augmentum gratiæ et gloriæ, vel idem sint, vel ita conjuncta, ut alterum ab altero separari non possit. Quia qui meretur gratiæ augmentum, meretur illud ut perpetuo duraturum, quantum est ex parte Dei, seu sub illa conditione, si per hominem non steterit; at vero augmentum gratiæ in via obtentum, eo ipso quod pervenit ad terminum ultimum viæ, qui perfectam etiam animæ purgationem includat, transit in gloriæ

augmentum, ut satis declaratum est; ergo qui meretur augmentum gratiæ in hac vita, meretur etiam augmentum gloriæ in alia. Sub gratia autem comprehenduntur omnes habitus infusi qui illam comitantur, quia cum proportione augentur in via, et cum eadem proportione manent in patria. Idemque est cum proportione de lumine gloriæ, nam infundendum est gratiæ proportionatum, et ideo qui meretur gratiæ augmentum in hac vita, meretur ut in alia vita lumen gloriæ intensius infundatur, et hoc est mereri augmentum ejus. Atque eadem ratio est de augmento gloriæ essentialis, si gloria pro ipsa visione Dei seu formali beatitudine sumatur. Quia illa gloria actualis futura est proportionata gloriæ habituali, ut sic dicam; ergo qui meretur augmentum gratiæ, sicut meretur augmentum gloriæ habitualis, ita consequenter meretur augmentum actualis gloriæ, non solum quoad actum primum ejus, qui est visio, sed etiam aliorum actuum beatificorum, qui vel ad substantiam beatitudinis pertinent, vel sunt quasi intimæ et inseparabiles proprietates ejus. Denique consummatio gratiæ habitualis, prout ordine naturæ intelligi potest antecedere visionem beatificam vel infusionem luminis gloriæ non indiget speciali merito, quia (ut explicui) illa consummatio nihil perfectionis positivæ illi addit, sed tantum negationes quasdam, ex quibus consurgit ut anima sit jam omnino extra viam, et in perfecto termino ejus, a quo statim gratia denominatur consummata. Et hæc de gloria essentiali.

7. *Circa gloriam accidentalem.* — *Assertio secunda.* — *Probatur primo.* — *Secundo.* — *Probatur tertio de illa gloria accidentali quæ oritur ex essentiali per se.* — De accidentali gloria, breviter dicendum est justos in hac vita mereri de condigno accidentalem gloriam. Hoc extra controversiam est, et probatur, quia multa præmia accidentalis gloriæ sunt promissa in Scripturis, quæ sunt valde proportionata meritis justorum, ut statim videbimus; tum etiam quia justis non solum merentur nudam essentiam beatitudinis, sed merentur simpliciter statum beatificum, qui est status omnium honorum aggregatione perfectus. Et ideo non solum meretur beatus visionem proportionatam suis meritis in gradu intensionis, sed etiam accommodatam eisdem in modo videndi ex parte objecti, seu in rebus visis in Verbo, quia unusquisque ea videbit quæ sunt statui suo proportionata, ut

Theologi docent, et ideo secundum eandem proportionem unusquisque propriam visionem meretur; ergo simili modo meretur unusquisque justus omnem perfectionem gloriæ etiam accidentalem, quæ ad statum illum, ut sit undique perfectus, desiderari potest. Et ita recte dixit divus Thomas in 4, distinctione decima secunda, quæstione secunda, articulo primo, quæstiuncul. secunda, quod gloria, quæ est sanctorum præmium, comprehendit essentialia gaudium de divinitate, et accidentale de aliis bonis creatis. Ut autem hoc amplius declaratur, adverto duobus modis posse intelligi hoc meritum accidentalis gloriæ. Uno modo, ut sit idem cum merito gloriæ essentialis, ita ut accidentalis gloria sit quasi secundarium præmium consequens ex primario. Sicut in Philosophia dicitur, qui dat formam, dare consequentia ad formam, ita qui meretur essentialem gloriam, eisdem operibus mereatur accidentia gloriæ consequentia ad ipsam. Et hic modus certissimus est, et optime probatur ratione proxime facta, et inductione. Nam hoc modo præter visionem Dei meretur in intellectu scientiam rerum in proprio genere, et revelationem suo statui proportionatam, et in voluntate præter dilectionem et gaudium de ipso Deo, meretur gaudia de bonis creatis divino gaudio, et amoris consentanea. Et simili modo eisdem actibus, quibus unusquisque meretur gloriam corporis consequentem ad gloriam animæ, et ita etiam meretur omnes dotes corporis gloriosi, et gaudium ac statum vitæ sensibilis tali gloriæ animæ proportionatum.

8. *Idem probari videtur de gloria accidentali non connexa cum essentiali.* — Alio vero modo intelligi potest accidentalem gloriam per se primo cadere sub meritum de condigno, tanquam præmium nullo modo connexum cum præmio essentiali, sed per se intentum ac separabile a præmio essentiali respectu ejusdem meritorii actus. Atque hic modus videri potest etiam verus, quia interdum aliquis meretur majorem essentialem gloriam, et minorem accidentalem, et contrario: ut confessor aliquis potest mereri majorem gloriam essentialem quam Martyr, et nihilominus Martyr semper habet accidentalem gloriam majorem, ut docet D. Thomas quæst. 26 de Veritat., artic. 8; ergo meretur Martyr specialem gloriam accidentalem, non ut annexam essentiali, sed per se propter perfectionem suam. Item argumentum fieri potest

de aliis, quibus specialia præmia accidentaliter promissa sunt, licet fortasse in essentiali inferiores sint, ut pauperibus promittitur sedes in judicio: *Sedebitis super sedes*, et virginibus ac Doctoribus specialis aureola promissa est. Atque hoc argumentum confirmari potest, ex eo quod interdum accidentale præmium datur propter externum opus, et non propter internum solum, etiamsi sit æqualis bonitatis et essentialis meriti, ut de aureola martyrii communiter docetur 1. 2, quæst. 20, artic. 4, et tradit divus Thomas, quæst. 2 de Malo, artic. 2, ad 8; tunc enim præmium illud videtur respondere per se actu externo, licet illi essentialia præmia non specialiter respondeat. Præterea præmium essentialia respondet charitati, accidentale vero bonitati morali ad aliud genus virtutis spectanti, ut docet D. Thomas citato loco, et 1 part., quæst. 95, artic. 4; ergo non meretur justus præmium accidentale solum ut connexum essentiali et consequens illud, sed per se, quatenus tali bonitati actus proportionatus est. Denique interdum meretur justus de condigno præmium accidentale, ut per bona opera moralia non relata in Deum; ergo talis gloria accidentalis non cadit sub meritum ratione alicujus gloriæ essentialis sed per se tantum ac directe.

9. *Assertio tertia, contrarium statuens.* — *Scotus illam insufficienter probat.* — Nihilominus dicendum imprimis censeo, nunquam justum mereri de condigno accidentalem gloriam, quin simul essentialem vel augmentum ejus ac gratiæ mereatur. Ita docet Scotus in 4, distinct. 22, quæst. 1, art. 2, § *Ad hoc dico*. Quod probat, quia quicumque habet tale meritum, habebit aliquem gradum beatitudinis essentialis, ultra eam, quæ soli gratiæ absque tali merito responderet, ut si adultus baptizatur in infantia cum quocumque actu meritorio, de condigno habebit perfectiorem visionem beatificam, quam infans cum sola gratia baptismali mortuus; ergo signum est omnem actum meritorium de condigno alicujus gloriæ, simul, vel, primum omnium mereri essentialem gloriam, vel aliquem gradum ejus. Sed hæc ratio videtur petere principium; nam qui dicunt bona opera moralia, ut talia sunt, quomodocumque fiant, tantum mereri gloriam accidentalem, consequenter negabunt in illo casu adultum esse magis beatum essentialiter infante, sed tantum accidentaliter. Cujus contrarium Scotus sine probatione sumit, cum tamen neque